

F.N. 57(35)

IV, 3



X 2047428

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
EXEQUIAS
DN.
ANTONII GUNTHERI
HESHUSII,

SS. Theologiæ Licentiati, Organi Aristotelei Profes-
soris Publici, Collegii Majoris Principum Collegiati
& Academiae Decem-Viri merissimi,
hodie XXVII. Junii MDCC,
post sacra Dominicæ pomeridiana
eundas civibus suis
iudicit.





IN Organo Aristotelis, quod Dn. L. Anton Günther Heshusius, Professor Publicus, Majoris Principum Collegii Collegiatus, & Academiae Decemvir, nuper beate defunctus, cum magna accuratone & utilitate Studioforum professus est, præcipui libri sunt Analytici duo priores, & duo posteriores. Est autem ἀνάλυσις sive resolutio regressus ab iis, quæ ex principiis constant ad principia, sicut contra σύνθεσις sive compositio est via sive progressus a principiis ad ea, quæ sunt ex principiis, juxta explicationem non solum interpretum Græcorum Aristotelis, Alexandri, Themistii, Philoponi, Eustratii, sed & Platonici Philosophi, Alcinoi in Summa doctrinæ Platonice, & ex Patribus Ecclesiæ Clementis Alexandrini. Metaphorice id dictum visum fuit Eustratio, sumta translatione a peregre agentibus, & in propria revertentibus. Qui enim peregre abest, & rursus revertitur, unde discessit, ἀναλύειν dicitur. Quam acceptionem ex Scriptura S. Luc. XII. 36. ex profanis scriptoribus Athenæo, Appiano, Polybio, ex Gregorii (Nazianzeni) Epistola (XLIX) ad Olympium confirmavit Joh. Cunrad Dietericus in Antiquitatibus Novi Testamenti, in voce ἀναλύω. Analysis ergo Logica in prioribus duobus libris agit de Syllogismi forma, nulli certæ materiæ applicata; in duobus libris posterioribus de Syllogismo demonstrativo, quo scientia introducit in animo discantis. Utraque conjuncta, inquit Johannes Neldelius, inter antecessores beati nostri Professoris celebratissimus, in Institutione de usu Organi Parte II. §. 23. genuinum est instrumentum Philosophiæ ad solide probandam, & accurate dijudicandam quamvis rem in disciplinis suis, & cæterarum disciplinarum; quia præscribit modum solide probandi & decidendi in cæteris disciplinis graves & arduas controversias, &, ut paucis dicam, acquirendi cognitionem exquisitam rerum aut saltem tantam, (ubique enim accuratissimam rerum cognitionem habere non possumus, ut lib. I. Eth. cap. I. docet Philosophus) quantam natura rerum admittit. Qua de causa, quia utramque Analysin Heshusius noster exacte & novit & docuit, Analyticus fuit Aristotelicus accuratissimus. Verum præter hanc Analysin Logicam, alia est longe excellentior Christiana, de qua Paulus loquitur 2. Timoth. IV. 6. ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφῆσθηκε. Syrus: Tempus, quo resolverar, appropinquat. Vulgatus & Erasmus: Tempus meæ resolutionis instat. Arabs & Lutherus: Instat mihi tempus discessus mei. Æthiops longius abit: Advenit mihi tempus meum ad quiescendum. Cyprianus Epist. IX. reddens: Tempus instat assumptionis meæ, legisse videtur ἀναλύσεως. Utramque interpretationem, & resolutionis & regressionis vox Græca patitur juxta Benedictum Justinianum. Nec inepte hac ratione mors describitur, sive spectes corpus, quod in elementa & præjacentem materiam dissolvitur, sive animum, qui in aliam vitam commigrat. Possis & hac ratione accipere, quod non semel dixit M. Tullius, mortem esse animæ dissolutionem. Hæc iterum Justinianus. Nostra sententia maximè convenit migrationis significatio, quæ solutionem a corpore velut impedimento præsupponit. Sic Apostolus Philip. I. 23. habet ἐπιθυμίαν εἰς τὸ ἀναλῦσαι, & cum Christo esse. Quæ verba Melanchthon sic explicavit, annotante Camerario in Luc. XII. pag. 182: Flagro desiderio migrandi ex hoc ergastulo in beatam Academiam, & ad hanc profectioem sive migrationem toto animo me comparo. Hoc est, quod dixerat 2. Cor. V. 18. probamus magis migrare e corpore, & præsentem adesse apud Dominum. Huc facit Simeonis verendi Senis illud, Luc. II, 29. Domine, nunc

ἀπο.

ἀπολύεις, dimittis servum tuum, sive discedendi das copiam servo tuo. Photius in Bibliotheca Cod. 118. de Pamphilo: ἀνέλυσε πρὸς ὃν ἐπόθει Θεόν, migravit ad DEUM maxime desideratum. Et Gregorius Nyssenus de Meletio: ἡ πρὸς Χριστὸν ἀνάλυσις, migratio ad Christum. Plura suppeditabit Thomas Gatakerus, Annotationibus in Marci Antonini Imperatoris de rebus suis librum XII. §. 3. pag. 386. Bene Dietericus ante citatus scripsit: Si ad cælum, quod æternum est domicilium tendis, ἀνάλυσις est ad domum & hospitium. Felix, qui ibi scit onera ἀναλύειν, suamque habet ἀνάλυσιν. Felix, qui fidelis est ἀναλυτικός, qui non timet mortem, nec expavescit accedentem. Itaque non dubitamus Analyticum nostrum Aristotelicum, etiam Analyticum Christianum simul laudare. Fidem dicti faciet hæc narratio. Natus est Anno Christi MDCXXXVIII. d. 11. Januarii in urbe Comitatus præcipua Oldenburgi, in quam mater gravida se receperat, ut a belli tunc furentis periculis tuta pareret. Pater ei fuit Johannes Heshusius, Ecclesiæ Hattensis in Comitatu Pastor per viginti & tres annos, mortuus An. Chr. MDCLXVII, postquam Senex, Filium hunc suum primogenitum, in hac Academia, Professionem Ordinariam consecutum esse, lætus accepisset; Mater fœmina virtutibus ornatissima Elisabetha Sophia, Caroli Pirneri, Comiti Oldenburgensi a rationibus frumentariis, & Annæ natæ Zur Hellen filia. Avum habuit M. Gottfriedum Heshusium, aliquando Comitis in Frisia Orientali Auriaci Concionatorem Aulicum, post Pastorem & Ministerii Seniore in Mindæ ad Visurgim: Proavum vero Doctorem Theologum celeberrimum, Tilemannum Heshusium, Jenæ, Rostochii & Heidelbergæ, deinde in Regiomontana Borussia Academia Theologiæ Professorem, & Episcopum Sambiensem, tandem in Academia Julia Helmstadii Theologiæ Professorem Primarium, ex familia nobili civitatis Vesaliæ ortum, & Helmstadii an. 1588. mortuum. Recens natum filium Parentes dum ad baptismum obtulerunt, nominari voluerunt Antonium Güntherum, quod nominibus istis Comes tunc Regens appellaretur. Idem, quam primum per ætatem capere poterat, domestica disciplina fideliter ipsum imbuerunt. Deinde vero, cum futuræ frugis spem non exiguam de se concitasset, anno MDCLII. ætatis decimo quarto, in Scholam florentem Delmenhorsti miserunt, ubi non solum sub informatione Rectoris, Conradi Bodenii, & Conrectoris, Johannis Hoffmanni, sed & præcipue sub institutione privata & inspectione sollicita M. Martini Strackeriani, Superintendentis, inter filios ejus & alios domesticos, tribus fere annis laudabiles progressus in linguis & artibus fecit. Tunc deficientibus sumtibus, quibus ibi sustentaretur, ipso etiam ita erudito, ut se juniores alios informatore posset, Pater hospitium liberale Oldenburgi ad studia sub Rectore Jacobo Stephano continuanda ipsi procuravit. Specimen eorum Anno MDCLV. ætatis suæ XX. edidit orationem habens de Philosophiæ nobilitate & utilitate, quæ etiam typis excusa fuit. Idoneus Rectoris judicio & testimonio scripto ad studia Academica, in Universitatem nostram venit Anno MDCLVIII. favore & patrocinio L. Gottfriedi Sluteri, Professoris Organi Aristotelei, Patru sui favore & patrocinio invitatus. In album Studiosorum inscriptus, studiorum initium fecit frequentando lectiones publicas & privatas Professorum, L. Sluteri Logicas, D. Joh. Jtrigii, D. Valentini Alberti, D. Joh. Adami Scherzeri Physicas, Jacobi Thomasi Ethicas & Politicas Christiani Friderici Franckensteini Historicas, D. Friderici Rappolti Metaphysicas. In his fervidus mox Baccalaureatum, & anno Academicæ vitæ quarto Magisterii gradum impetravit. Nunc ipse in Collegiis privatis Studiosis Logicam, Physicam, Ethicam tradidit, postquam publicæ Disputationi, de Signo & Signato, præsedisset. Inter hæc non

FK 26 6550

non minori studio Theologiae operam dedit, quem scopum habebat praecipuum, D. Joh. Hülsemanno, D. Hieronymo Kromayero, D. Martino Geiero, D. Joh. Adamo Scherzero tam in praelectionibus publicis, quam in Scholis privatis assidens, & Philologiae Ebraeae notitiam, praeeunte D. Joh. Benedicto Carpovio, libellum Ruthae explicante, sibi comparans, ac in Homileticis Collegiis se exercens. Anno MDCLXIV Facultas Philosophica, duabus pro Loco disputationibus, una de distinctione formali, altera de natura demonstrationis, quas erudite conscripserat & defenderat, habilem inter Assessores suos recepit. Eiusdem anni aestate a Patre domum vocatus, Jenam transiit, Professoribus se suaque studia commendans. In patria in Ecclesia Hattensi Patris, & in templis Oldenburgi tam Civitatis quam Arcis concionatus auditoribus valde placuit. Comes ipse gratiam suam, cum alia ratione tunc non posset, declaravit ei vadium & stipendium decernendo in tres annos, quod integrum praenumeratum sibi mox accepit. Reversus ad nos mense Septembri, Collegia philosophica, interque ea Mathematica aperuit; liberorum etiam, quos Parentes Viri in hac urbe praecipui ejus fidei concrediderunt, institutionem in politiori literatura diligentissime curavit. Fatis functo Slutero Anno MDCLXVI. a Facultate Philosophica ad professionem Organi Aristotelici commendatus, ab Electore Saxoniae Sereniss. vocatus est: In hoc suo munere Analyticum accuratissimum se exhibuit, difficilem librum ita interpretando, ut subtilia inventa & praecpta ad praesentem usum, in quovis studiorum genere applicaret. Testimonia supersunt, Commentarius Analyticus in totum Organum, Nucleus ex singulis Organi libris excerptus, & principiis ac propositionibus inclusus, aliaeque praelectiones. Disputationibus supra memoratis adjiciendae sunt, de Naturali Notitia DEI quoad existentiam, de Ominum varietate, de Pythagorica abstinencia a carnibus, de Syllogismo *κατὰ μέγληψιν*, de vi plura ex uno Syllogismo concludendi. Anno eodem LXVI. in Collegium Majoris Principum cooptatus est. Decanatum Facultatis suae septies, An. LXIX. LXXV. LXXIX. LXXXIII. LXXXVII. XCIII & XCIX. Procancellariatum quater, An. LXXII. LXXX, LXXXVIII. & MDCC, Praeposituram Collegii Majoris ter, Praeposituram Magnam trium Pagorum veterum semel, Rectoratum Academiae quater, An. LXXIII. LXXXV. XCI. & XCVII. Assessuram in Concilio Rectorali saepius, & Decemvir factus, Praeposituram Collegii Paulini ter, Directionem Oeconomiae quater vel pro se, vel pro Socero suo sene diligentissime, fidelissime, dexterrime gessit. In Theologia Gradum Baccalaureatus, An. LXX. Licentiam Supremum Doctoris axioma assumendi An. LXXI. praemissa Disputatione de Trifagio Angelico ex Esai. VI. adeptus est. In Collegiis Theologicis lectoris & Disputatoris Studiosae juventuti non defuit. In matrimonium accepit An. LXXI. d. IX. Maji, qui erat Disputationis Inauguralis & Promotionis Theologicae, Virginem pietate aliisque Virtutibus admodum conspicuam, D. Georgio Mœbio, Theologiae Professore Primario, Canonico Misnensi, Alumnorum Electoralium Ephoro & Academiae Decemviro natam, e qua conjunctissima sibi suscepit tres filias & unum filium. Ex his Filia postrema mortua nata est, media Elisabetha Sophia, & filius Johannes Georgius paucis post nativitatem septimanis obierunt. Filia prima, Maria Christina ab An. MDCXCII. conjux est dilectissima suavissimaque Dn. Polycarpi Heilandi, in Schleuffig, Senatoris & Aedilis de hac civitate meritissimi, parens foecunda Polycarpi, Jacobi Enochii, Antonii Augusti, Henrici Gottfriedi, & Mariae Christinae. Avi haec deliciae fuerunt; ad quem, cum saepe venirent, in Scholam veniebant, in qua de pietatis capitibus, & Linguae Latinae rudimentis is interrogabat, respondentes laudabat, informabat, & blandissimis modis ad amorem sui permovebat. Caeterum vita ipsius omnis plena fuit pietatis, observantiae & officiorum erga quosvis, benefica erga pauperes cognatos, & alios, humanitatis, & aliarum pulcherrimarum virtutum, ob quas omnibus charus & aestimatus fuit. Morbi ultimi, (nam arthritidem vagam Scorbuticam, febres tertianam & quartanam in hac feliciter evasit) initium fuit d. 14. Jun. a diarrhaea cum debilitate membrorum & calore praeternaturali intermittente. Medici bonis medicamentis fecerunt, ut Symptomata illa remitterent. Sed brevissima fuerunt induciae. Nam Calculus mox resuscitavit reliqua. Hinc vires corporis senilis profusus fecere, quibus restituendis generosissima medicamenta non erant. Aegrotus ipse ad beatam anarsin se praeparavit, viaticum saluberrimum assumendo, & Consolationes a Confessionario suo dicta accipiendo. Discessit ex hac vita d. XXV. Junii nocte fere media, in anno Climacterico, inter preces adstantium voce debili se audire simul & facere significans. Hujus corpus, quia hodie peractis saeculis Dominicae terrae reddendum est, Cives Academici, frequenter convenite, & solenne funus in solatium viduae & familiae moestissimae facite Analytici Aristotelici accuratissimi, & Analytici Christiani piissimi. P. P. die XXVII. Junii, Dominica III, a Festo SS. Trinitatis, Anno Christiano MDCC.



F.R. 57(35)

1V, 3
Z6
6550

X 2047428

RECTO
UNIVERSITATIS LI
EXEQUIA
DN.
ANTONII GU
RI HESHU

SS. Theologiæ Licentiati, Organi
foris Publici, Collegii Majoris Principis
& Academiae Decem-Viri meriti
hodie XXVII. Junii MDCC
post sacra Dominicæ pomeridiana
eundas civibus suis
iudicavit.

